Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

chati sunt septuaginta nouem. quorum natalis celebratur idus decembris. Sancta uero lucia gratias egit domino ihesu christo. Postea uero paschasius consularis iter arripuit ab urbe siracusanam in mendulas. et ueniens cepit penas preparare sanctis. Orauit autem sancta lucia ad dominum dicens: Qui in principio celum et terram uerbo constituisti. qui de limo terre hominem formasti. et spiritum uite inspirasti. accipe spiritum meum. Et cum conplesset orationem. in gratia domini emisit spiritum. Videns autem sanctus gemminianus amouit eam de loco et non potuit sepelire corpus eius. custodiuit autem sanctum funus usque in tercium diem. Tercia uero die ascendens decrepidine. in ipso ore crepidinis ab inimico exceptus gladio uitam finiuit. Discedente quoque percussore. tinsiens quedam mulier nomine maxima ualde christiana sepeliuit corpora eorum. Agitur autem natalis sanctorum. xvi. K. octobris.

Passio Sancti Mathei apostoli. xxxiii.

ERANT itaque duo magi zaroes et arfaxat apud ethiopes in ciuitate eorum magna que dicitur nandaber: ipsique erat rex egippus: Hunc itaque ludificabant hi duo magi ut dicerent se deos esse et credebat eis rex et omnis populus memorate urbis. et ibat opinio eorum per totam ethiopiam. ita ut ex longinquis regionibus multi ad ethiopiam peruenirent et adorarent eos. faciebant quoque subito gressus hominum figi. et tamdiu inmobiles stare quamdiu ipsi uoluissent. Similiter et uisus hominum et auditus [simulacro] officio refrenabant. Imperabant serpentibus ut percuterent. et ipsi incantando curabant. Et ut dici uulgo solet. maligniusma ior reuerentia exhibetur timoris quam benignus amoris. Ergo ut sepe dictum est deus hominum curam gerens. matheum contra hos apostolum misit. Qui ingressus ciuitatem. cepit detegere prestigia eorum. Omnes enim quos illi figebant. ille in nomine christi soluebat. quos illi cecabant. hic illuminabat. quibus illi auditum tulerant. iste reddebat. Serpentes etiam quos illi ad percuciendos homines excitabant. hic conuertebat in somnum. et percussiones eorum. facto signo crucis christi curabat. Hunc cum uidisset ethiops eunuchus candacis nomine qui fuerat a philyppo apostolo baptizatus. procidit ad pedes eius adorans et dicens. Ecce respexit deus ciuitatem istam ut liberaret eam de manu duorum magorum istorum. quos putant stulti homines deos esse. Eunuchus uero candacis nomine suscepit eum in domum suam. Et ueniebant ad eum omnes amici candacis eunuchi. et audiebant uerbum uite et credebant in christo. et baptizabantur plurimi. uidentes quod omnia que magi faciebant mala hominibus hic dei apostolus euacuaret. Illi enim uulnerabant quos poterant. ut uulnerati ipsos rogarent. quique ideo curare putabantur quia a lesione cessabant. Matheus uero apostolus christi non solum hos curabat quos illi ledebant. sed etiam omnes qui ad eum offerebantur infirmitatibus diuersis obsessi curabantur. Predicabat autem ipso ueritatem dei. ita ut omnes mirarentur de eloquentia eius. Tunc candacis cum omni affectione interrogauit eum dicens. Obsecro te ut digneris indicare mihi quomodo cum sis hebreus nostri linguam grecam. egyptiam. et ethiopicam sermocinacionem. ita ut in

xxxiii Passio S. Mathei apostoli